

exsolvendas et in huiusmodi classis conservatione ac aliis ad praemissarum civitatum et terrarum conservationem necessariis exponendas, auctoritate Apostolica, tenore praesentium imponimus, utque ipsarum duarum decimarum exatio facilius fieri possit, duas personas in dignitate ecclesiastica constitutas per vos in Dominio vestro ad hoc nominandas, super quo vobis per praesentes licentiam concedimus et facultatem huiusmodi subsidii collectores et exatores dicta auctoritate facimus, creamus, constitui-mus et deputamus, eisque subsidium huiusmodi ab eisdem archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis et personis aliis ad illud solvendum astrictis petendi, colligendi, exigendi, ac eis, tam in genere, quam nominatim et in specie, ut illud solvant sub excommunicationis latae sententiae et privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos tunc obtentorum, et aliis de quibus sibi videbitur poenis etiam pecuniaris auctoritate nostra mandandi, ac terminum ad id prefigendi, et prefixum semel et pluries totiens quotiens sibi videbitur, subcollectores qui pari qua ipsi per vos ut praefertur deputandi per praesentes utuntur, facultate fungantur deputandi, tam generaliter, quam nominatim, et deputatos amovendi, ac alias eorum loco totiens quotiens sibi videbitur subrogandi, nec non subsidium huiusmodi solvere recusantes, vel differentes, et generaliter contradictores quoslibet, et ne solvatur persuadentes directe vel indirecte per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia opportuna appellatione postposita compesciendi, invocato etiam si opus fuerit ad hoc auxilio brachii secularis, solventes vero de solutis quietandi, liberandi et ab excommunicationis sententia aliisque censuris et poenis quas dicta occasione quomodolibet incurrisserint, absolvendi, et generaliter omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem, non obstante si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, militibus, et aliis personis ecclesiasticis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod ad solutionem alicuius impositionis minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdicte, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi eiusque toto tenore ac propriis ipsorum locorum, ordinum et personarum,

nominibus et cognominibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus etiam in corpore iuris clausis ac litteris apostolicis quibusvis dignitatibus seu ordinibus, stabilitimentis, usibus et naturis et praeципue Sancti Benedicti et Sancti Augustini cluniacensis, cistercensis, camaldulensis, Vallisumbrosae, cruciferorum et humiliatorum ac ipsorum universitatibus generaliter vel specialiter sub quacumque forma et expressione verborum ab eadem Sede concessis, mentionem etiam si de eis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum quo ad opportunam eorum et clausularum in eis contentarum derogatoriis derogationem praesentibus habenda esset mentio specialis, eisque quo ad praemissa illis alias in suo robore permansuris nolumus quomodolibet suffragari, volumus autem ut iuxta ordinationem in Concilio Vienensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum ac priorum locorum huiusmodi divino cultui dedicata ex causa pignorum vel alias occasione solutionis subsidii huiusmodi nullatenus capiantur, distractrantur vel occupentur, quodque praesentium litterarum transumptis manu alicuius ex deputatis per vos collectoribus vel prelati in dignitate ecclesiastica constituti, sigillo et publici notarii subscriptione munito, eadem prorsus fides adhibetur in iudicio et extra, quae adhiberetur ipsis originalibus litteris si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo piscatoris, die quinta Septembbris MDXXIII, Pontificatus nostri anno secundo, HEZIUS. A tergo autem dieti brevis: Dilectis filiis nobilibus viris Ducis et Dominio Venetorum. Datum in nostro Ducali Palatio die XII Septembbris, indictione XII, MDXXIII A. S. Nos itaque Paulus episcopus et Marcus Antonius Reginus Decanus et Prothonotarius apostolicus executores seu collectores apostolici antedicti, sic requisiti per dictum serenissimum et illustrissimum Ducem et Dominum Venetiarum, pro debita litterarum ipsarum apostolicarum executione, omnia et singula suprascripta vobis universis et singulis suprascriptis et vestrum cuiilibet in solidum intimamus, insinuamus et notificamus, ac ad vestram et cuiuslibet vestrum noticiam deducimus et deduci volumus per praesentes. Vosque nihilominus reverendos dominos archiepiscopos, episcopos, electos, administratores, abbates, priores, praepositos, praelatos, capitula, conventus ac clerum civitatum et dioecesum, terrarum, castrorum, villarum, et locorum Reipublicae Venetiarum mediate vel immediate subiectos et sub ipsis Dominio et ditione consistentes, coeterasque perso-